

justit, ut supra legitur. Interfuerunt testes vocati Girardus Alexandri quondam, & Guillelmus Viciatus Oberti quondam, Petrus Trottus, Manfredus de Palatolio, & Jacobus Palearius, & Henricus Palearius, & Ocdeconus Palearius.

Subscrip. cum signo Tabell. Ego Guillelmus Buccius not. Sac. Pal. hanc chartam scripsi, & interfui.

(1) *Emendandæ notæ istæ, & hic Nonas addendum; alioquin discrepantes erunt.*

*Confirmatio venditionis terræ Jac. Canefræ fundatrici monasterii de Banno oppidi Sezadii.*

182

MCCXXXII.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXII., indictione V., die lunæ tertio exeuntis martii in loco Sezadii in platea juxta Ecclesiam S. Mariæ. Musus de Presbitero, Nicolaus de Presbitero, Arnoldus de Camagna, Bernardus Bori, Manfredus de Astign. Girardus de Pugno, Rufantus Rubaldi, & Vermus magister de Sezadio quisque in solidum renuntiando novæ constitutioni, qua dicitur, ne quis ex reis conveniatur in solidum, donec alter est præfens, & solvendo, & nec possint dicere se pro communi Sezadii, ac pro alio se fore obligatos, & omni alii juri, & auxilio legis, usus, & canonum sibi competenti, suo proprio nomine, & nomine communis Sezadii ad invicem confitentes ore ad hoc . . . . confirmant tibi D. Jacobæ Canefræ fundatrici Monasterii S. Mariæ de Banno recipienti nomine, & vice ipsius Monasterii venditionem terræ cum accessionibus, & ingressionibus, & juribus, & omnes conventiones, quas Anricus Tafcha, & Abus . . . . & Ruffinus . . . . & Ruffinus Bulla consules Sezadii, & Anselmus de Boschi Syndicus ipsius communis, & alii homines Sezadii fecerunt tibi prædicto nomine promittentes tibi prædicto nomine, & jurantes attendere, & observare pro se, & pro communi Sezadii omnia, & singula, quæ continentur in ipso instrumento venditionis omnibus coram eis specialiter declaratis; & omne dampnum, & interesse quod inde dictum Monasterium haberet, & sustineret cum omnibus expensis in integrum restituere promiserunt credendo tibi isto nomine Sindico, vel Abbatissæ Monasterio de quantitate dampni, & interesse, & expensarum sine Sacramento in simplici verbo, & contra in aliquo non venire, constituentes se principales debitores, & defensores in omni causa, & in omnibus, & singulis, quæ continentur in ipso instrumento venditionis obligando pignori tibi prædicto nomine omnia eorum bona propria, & bona communis Sezadii, & inde isti hanc cartulam fieri rogaverunt testes rogati DD. Philippus Ceremellus, Anselmus Canefrus quondam Baulini Feudatarius . . . . Ego Henricus de Pomario Imperialis autoritate Notarius, ut supra in forma publica redigi, & exemplavi ex authenticis instrumentis scriptis per manum Ottonis Notarii Sacri Palatii, qui illa scripsit, jussu, & voluntate Jacobi Paure Notarii Sacri Palatini, qui ea ipsi Ottoni Notario tradidit, & scribi jussit, nihil addito, vel diminuto nisi for-

san litera, vel sillaba, sententia tamen eadem re-tenta. Quæ feci præcepto D. Joannis Archiepiscopi . . . . . ita statuit, & decrevit, quod eandem vim, & auctoritatem habeant secundum quod ipsa autentice habent. Actum in palatio dicti Archiepiscopi anno Dominicæ Nativitatis millesimo ducentesimo XLIII., indictione prima, die XVI. aprilis circa tertiam.

Egregii, atque antiqui hujus documenti exemplar acceptum refero a clarissimo viro I. C. Antonio Chenna Archidiacono, ac Vic. Capitulari Alex., qui de hoc Monasterio alias vix noto plurimum, quas invenit chartarum titulos humanissime transmisit, quos hic exhibebo, prout ipse obtulit excepto instrumento an. 1235. 5. decemb., & 1480. 5. aug., quæ hic inferius descripta habentur.

1229. 15. aug. in loco Talioli continet venditionem factam D. Presbitero Petro Sindico monasterii de Banno nomine ipsius monasterii.

1265. 25. febr. apud monasterium S. Mariæ de Banno in loquatorio continet donationem factam D. Attestinæ Abbatissæ monasterii B. Mariæ de Banno quarundam possessionum in territorio Sexadii.

1265. 20. julii in platea Sexadii contractus venditionis fratri . . . . . Converso monasterii S. Mariæ de Banno. Consequuntur quinque alia instrumenta venditionis eidem monasterio.

1295. 20. julii in Sexadio apocha solutionis D. Anselmo Converso . . . . . monasterii S. Mariæ de Banno.

1285. 5. maii in Sezadio instr. venditionis fratri Gandulfo Converso monasterii S. Mariæ de Banno.

1300. 3. decemb. in domo monasterii S. Mariæ de Banno instr. venditionis fratri Paschali Converso, & Sindico monasterii S. Mariæ de Banno.

1316. 12. febr. in claustrum Ecclesiæ S. Stephani de Sezadio frater Gandulfus Tafcha Conversus monasterii S. Mariæ de Banno, & Syndicus monasterii . . . . . D. Argentinae Spinulæ Abbatissæ.

1473. 20. septemb. in monasterio S. Stephani de Sezadio alias de Banno Aquensis Diocesis Ordinis Cisterciensis videlicet in . . . . . dicti monasterii siti extra villam Sezadii, ubi solent congregationes monialium dicti monasterii, & conventus fieri convocato, & congregato capitulo dicti monasterii . . . . . impositione Ven. Dom. sororis Brigidæ de Cocconato Abbatissæ continet instrum. emphiteusis.

Ex hisce patet sub initium sæc. XIV. nomen mutasse, atque S. Stephani monasterium appellatum. Nunc non nisi quædam vestigia apparent antiquæ Capellæ, ac domus; proventus autem prædiorum, ut fertur, percipiuntur a Monachis Olivetanis Monasterii Januensis, apud quos chartæ, ac monumenta omnia ad hoc olim monasterium spectantia migrarunt. Quo autem tempore, atque anno regularis ibi disciplina desierit, & redditus Januensibus Monachis fuerint adscripti, incertum habeo.

*Fragmentum pactorum a Marchionibus de Clavesana cum Genuensibus initorum ex Cod. MS. Pingoniano.*

MCCXXXIII.

183

Anno MCCXXXIII. 8. septembris fuerant initæ quæstiones inter Bonifacium filium D. Oddo-